



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies nonus et decimus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1925

De B. Gratia Laico Professo Ordinis Eremitarum S. Augustini Prope
Venetias Commentarius Praevius

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72556](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72556)

- A Praemia conspiciens longi sudoris arator,
Gaudet frugiferae messis adesse diem.
Sic alacris nostro fugiens Lodovicus ab orbe,
Id sibi iucundum significavit iter.
435 Anxia corda premens vitae iam limina morbus
Ceperat, et fato callis apertus erat.
Cum domus aegrotum miserans tellure iacentem 470
Membra dedit molli iam moribunda thoro.
solatia Non potuit plumas, nec lignea stragula ferre,
recusat; 440 Sed reptans gelidam corpore pressit humum,
Corpus, ait, terra est, humili date corpora terrae,
In sua felici mens eat astra pede.
sacra- Post sacros fidei ritus de more peractos,
mentis Mens abiit putri dissociata luto.
munitur; 445 Febris, et exiliens late de naribus humor
Sanguineus, maestae causa fuere necis.
Extinctum tumulo solenni funere corpus
Redditur, et celebri condita busta loco.
mortem Singula tractanti nulla ratione tacendum
praedieit; 450 Quod propriam multo viderat ante necem.
Vidit, et ante novem dixit sua funera menses,
Et sibi supremam non procul esse diem.
et medico- Mens pia subsidium medicae sibi noluit artis
rum artem More Agathes ¹ soli fidere docta Deo (1).
respuit. 455 Frigus et hibernum tolerat sine crinibus imbrem
Arbor, et exuto corpore nuda tremit.
Ast ubi clausa tepens per rura favonius intrat,
Incipit albenti luxuriare coma.
Humida per ligni graciles alimonia venas
460 Serpit, et imbibitus suscitatur ossa calor.
Purpureum miscet frondis cum flore decorem,
Et parit ornatus multi coloris opes.
Taliter hic iacuit plures inglorius annos,
Et tulit immensum vilis et aeger onus.
- VITA
465 Sed modo caelestem post funera sumptus in
Gliscit, et aeterna fertilitate viret. [aulam.
Sic quoque defunctum post debita saecula corpus
Surget, et antiqua vestiet ossa cute.
Tunc iterum notos animus labetur in artus,
Altaque terrestri vadet in astra pede.
Nona pruinosi iam lux erat orta novembris.
Cum levis ad patrem se tulit umbra suum.
Lustra decem vitae, binosque peregerat annos,
Haec fuit humanae meta suprema viae.
475 Ante fores Petri gelidam conversus in arcton,
Est locus antiquae religionis opus.
Hic iacuit primum, post sex a funere menses
Erutus, et magna conditus aede fuit.
Hic nova concursu fiunt miracula magno,
480 Votaque dat sacro Felsina tota loco.
Qui venit aegrotans, redit ad sua limina liber,
Et miseros homines ossa sepulta iuvant.
Loripedes, oculis capti, nodisque podagrae
Divinam illabi testificantur opem.
485 Summa virum probitas, simul et miracula sanc-
Esse probant, fidei si sit habenda fides. [tum
Magne pater, qui res hominum specularis ab alto
Vertice, consultes iudiciumque feras.
Nam nihil audendum temere, nec dicere sanctos
490 Convenit, assensum ² numinis ante tui.
Si tamen hunc liceat caelestibus addere divis,
Surgeret aetatis gloria summa tuae.
Sit tibi prosperitas, te Nestoris atque Sibyllae
Saecula in aeterni nectaris arva ferant.
495 Hactenus haec, olim cum nos donaveris urbe
Romulea (2), plectro te meliore canam.
- In eccle-*
siam ca-
thedralem
translatio.
Miraculis
clarescere
incipit.
Poeta inter
sanctos
locum ei
auguratur

¹ Agates B. — ² ascensum B.(1) Medicam opem refugit S. Agatha, *Act. SS.*, Febr. t. I, p. 617.— (2) *Comm. praev. num. 1.*

C

DE B. GRATIA

LAICO PROFESSO ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI
PROPE VENETIAS

F

ANNO 1508

COMMENTARIUS PRAEVIUS

H. D.

In monas- 1. Gemina erat incunte saeculo elapso in stagno
terio Veneto insula, medio Venetias inter et Murianum
Sancti itinere, quarum altera insignis erat monasterio
Christo- Sancti Michaelis Ordinis Camaldulensis (1), al-
phori tera monasterio Sancti Christophori de Pace dicto,
prope quod fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini
Venetias Congregationis de Monte Orthono incolebant (2).
Anno autem 1810 monasterium cum ecclesia Sanc-

ti Christophori solo aequata sunt, et locus coeme-
terio publico destinatus. Quod cum angustius cen-
seretur, completo canali exiguo quo a vicina in-
sula dividebatur, e duabus una facta est cui Sancti
Michaelis nomen inhaesit (3). Ecclesiae formam
laudaverunt qui eam oculis conspexerunt; addunt
etiam nullum in ea splendidius ornamentum
juisse sacris B. Gratiae confessoris, qui in coe-

(1) Flaminius CORNELIUS, *Ecclesiae Torcel-
lanae antiquis monumentis illustratae*, t. III
(Venetiis, 1749), p. 3-91. — (2) *Id.*, *Ecclesiae*
*Novembris Tomus IV.*Venetae, antiquis monumentis illustratae, t. I
(Venetiis 1749), p. 255-78. — (3) Venezia e le
sue lagune, t. II, 2 (Venezia, 1847), p. 502-503.
38 -nobio

- AUCTORE** nobis Sancti Christophori anno 1508 obierat, exiis. Quae deinde everso templo in Dalmatiam delatae fuerunt, et quidem Mullam, qui pagus est prope Catharum, ubi beatus ille vir lucem aspexisse fertur, Catharinus inde nuncupatus. A nonnullis etiam Paduanus seu Patavinus dictus est; non recte sane, cum paucis tantum annis in Monte Orthono prope Patavium, et brevi admodum tempore Patavii degisse videatur.
- H. D.**
- obit beatus Gratia,**
2. Servum Dei tantam sanctitatis famam sibi comparasse ferunt, ut statim post mortem publicus et ecclesiasticus cultus ei tribui coeptus sit, et haud nullis interieclis annis in libris paene omnibus qui de Ordinis Eremitarum viris illustribus conscripti sunt beatus vel sanctus nuncupatus appareat. Ita apud Hieronymum Seripandum (1), Alexandrum Benacci (2), Simplicianum Torrini (3), Iosephum Pamphilum (4), Hieronymum Nolanum (5), Aurelium Filippini (6) et deinceps apud notissimos illos rerum domesticarum Augustinianos scriptores, Thomam de Herrera (7), Ludovicum Torelli (8), Philippum Elsium (9), Augustinum Arpe (10), Bartholomaeum Scalabrella (11), et ita porro. Iubente episcopo Casimiro Forlani (1879-1887), in curia Catharensi instructus est processus super cultu ab immemorabili tempore praestito beato Gratiae (12) et a Sede Apostolica postulata huius cultus confirmatio (13), concessa vero sedente episcopo Tryphone Radoničić (1887-1894) (14). Mox quoque secuta est officii et missae concessio (15). Precibus vicarii generalis Ordinis S. Augustini annuit S. Sedes, et decreto 17 decembris 1889 probata sunt officium, missa et hoc elogium martyrologio inserendum die 22 decembris: Venetiis natalis B. Gratiae a Catharo laici professi Ordinis nostri, Congregationis Montis Orthonis, qui humilitatis exemplo, orandi studio atque paenitentiae rigore insignis, quinto idus novembris, ante et post obitum claris miraculis, e coenobio S. Christophori ad caelestia regna migravit.
- B**
- cum fama sanctitatis.**
- In martyrologio Ordinis nuper reformato haec eadem leguntur ad diem 9 novembris; die autem eiusdem mensis 16, quo B. Gratiae festum tandem translatum est: B. Gratiae a Catharo confessoris Ordinis nostri, cuius natalis recolitur V idus novembris. Celebratur autem ritu semiduplici (16).
3. Vitae antiquae B. Gratiae a teste oculato conscriptae, si qua unquam fuit, nullum superest vestigium. Qui primus de eius gestis libellum typis mandavit, Spiritus Lazarini, saeculo plus quam integro post Gratiam vixit, nec quicquam de fontibus quibus usus est compertum habemus (17). Opusculum frustra quaesivimus. Eius tamen desiderio nos teneri vix affirmare audeamus, cum omnes quotquot de beato nostro alii pressius alii uberius dixerunt, in rebus enarrandis ita concordent ut ad unum eundemque fontem neque adeo limpido reducendi sint. Paucis enim exceptis quorum traditio monasterii indubiam servavit memoriam, ut puta quod humili genere natus sit, cymbam duendo victum sibi comparaverit, Simoni de Camerino discipulo adhaeserit, variis in locis sancte vixerit, Venetiis feliciter obierit, in novo sarcophago super altare mox reconditus, praeter ea, inquam, Vita Gratiae fere constat locis ut ita dicam communibus quibus laudari solent quotquot in coenobiis piam vitam duxerunt, miraculis tandem quattuor quorum testes desiderantur, de pariete diviso ut beatus eminus sacram eucharistiam adorare posset; de igne super eius cubiculum micante; de latice in puteo arescente restitudo; de diabolo ita eum verberibus impetente ut ad mortem usque claudum efficeret. Accedunt miracula nonnulla post obitum beati eius intercessione patrata. Haec est summa eorum quae post Lazarinum enarravit Antonius Loredan, nobilit Venetus (18). Nonnulla se addidisse, silentibus testibus, quae verisimilia videbantur aperte fatetur (19) et unum miraculum, cui ipse interfuerat (20). Loredano successit Fr. Elisaeus Polonus, qui uberrimo calamo eadem prosecutus est (21).
- D**
- Eius Vitae summa.**
- E**

- (1) Elenchus sanctorum ac beatorum Ordinis ad calcem operis *Constitutiones Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini*, Romae, 1551.—(2) *Vita di S. Monica* (Bologna, 1576), p. 38.—(3) *Libro sopra la S. Cintura di Maria Santissima* (Bologna, 1578), p. 38. Prodiit etiam Bononiae 1600, et Veronae 1645.—(4) *Chronica Ordinis Eremitarum S. Augustini* (Romae, 1581), p. 133.—(5) *Libro delli privilegi dell' Ordine Agostiniano*, Napoli, 1586.—(6) *Giardino odorifero...* (Cesena, 1603), p. 45.—(7) *Alphabetum Augustinianum*, t. I (Matriti, 1644), p. 317.—(8) *Ristretto delle vite degli huomini illustri in santità dell' ordine Agostiniano* (Bologna, 1647), p. 423-426; *Secoli Agostiniani*, t. VII (Bologna, 1672), p. 593.—(9) *Encomiasticum Augustinianum* (Bruxellis, 1654), p. 245.—(10) *Giornale de santi e beati Agostiniani*, t. II (Genova, 1712), p. 222.—(11) *Calendario dei Santi della religione di S. Agostino*, Roma, 1878.—(12) In archivio Ordinis S. Augustini Romae servatur *Copia pubblica transumpti processus auctoritate ordinaria constructi in curia ecclesiastica Catharensi super cultu ab immemorabili tempore praestito servo Dei Gratiae a Catharo*, codex chartaceus fol. 289, anno 1886, die 31 martii.—(13) *Catharen. Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Dei famulo Gratiae a Catharo laico professo ordinis Eremitarum S. Augustini Beato nuncupati. Informatio super dubio an sententia lata ab Ilmo et Rmo episcopo Catharen... sit confirmanda*. Romae, 1889, 39-77 pp.; *Summarium addionale*, 3 pp.; *Animadver-*
- C**
- siones R. P. D. Promotoris fidei*, 11 pp.; *Responsio ad animadversiones R. P. D. Promotoris fidei*, 59 pp.—(14) *Schematismus dioecesis Catharensis pro anno Domini MCMVII* (Ragusii, 1907), p. 78-80.—(15) *Catharen. Concessionis et approbationis officii et missae in honorem B. Gratiae a Catharo...* Romae, 1889, 4 pp.; *Summarium*, 6 pp.; *Adnotationes R. P. D. Promotoris fidei*, 4 pp.; *Responsio ad adnotationes R. P. D. Promotoris fidei*, 10 pp.—(16) *Proprium officiorum Ordinis Eremitarum S. Augustini a S. R. C. approbatum*, Romae, 1915, ad diem 16 novembris.—(17) *Vita del beato Grazia da Cattaro*, Venezia, 1643. Cf. VALENTINELLI, *Bibliografia della Dalmazia e del Montenegro* (Zagabria, 1855), p. 247. De scriptis S. Lazarini ita A. Loredan in libro de quo mox: « Il P. M. F. Spirito Lazarini da Perugia in un discorso intitolato le Glorie di Grazia dell' augusto patriarca Agostino, grazioso rampollo, et ammirabile germe conteste sotto epiteto di palma e nota di cedro. Il detto P. Lazarini in un breve racconto dei gesti del B. Grazia intitolato Breve raccontamento etc. »—(18) *Vita del beato P. F. Grazia da Cattaro*, Venezia, 1670; item 1693; item 1733.—(19) Ita in operis praefatione: « Perche non si ritrova memoria di sua vita, se non dall' età di 30 anni che entrò nella religione, mi sono preso licenza di fabbricare sopra verisimili e sopra supposti; se bene tutto si deve credere e tutto sperare dalle operazioni di un santo. »—(20) Item in praefatione, et p. 60, ed. 1733.—(21) *Vita B. Gratiae Catharini*
- F**

A multis
laudatus
fuit.

4. Mullo breviorum beati nostri Vitam suis Annalibus Illirico-latinis maximam partem ineditis inseruit Andreas Zmajević (1), archiepiscopus Antivarensis (1671-1694); quam suppresso nomine edidit P. Iacobus Coletus (2). Hac paulo jussorem Vilam, ubi de ecclesia Sancti Christophori tractatum habuit, enarravit Flaminio Cornelius in celebri ecclesiarum Venetarum historia (3). Quam, cum aptissime exponat quaecumque de beato nostro feruntur, lectori proponendam censuimus, et infra typis edemus, ea sola quae hypothetae peccaverunt, corrigentes. Cornelium in epitomen redegerunt tum Dominicus Grandis (4), tum auctor *Hagiologii Italiae* (5). Qui historiam episcopatus Catharensis conscripsit, duplicem Vitae B. Gratiae libellum nactum se profiletur, latinum alterum, cuius auctorem, qui reapse est Andreas Zmajević, ignorasse videtur, alterum italicum, a patribus Augustinianis Sancti Christophori de Pace acceptum: « De summa rerum, ita ille, mirifice congruunt; italicum tamen latinum praeferebam; in hoc si quid praetermissum est, ab illo sumendum erit. » Quae quidem animadversionibus ad Vitam latinam interserit (6), ad codicem italicum passim remandans. Cum autem se Lazarinum et Elisaeum Polonum, cuius etiam verba exscribit, legisse testetur (7), Vita italica manuscripta, de qua nulla alias mentio est, ei tradita fuisse credenda est. Loredanum, Elisaeum, Cornelium, Zmajevićum, Dominicum Grandis secutus novam B. Gratiae Vitam scripsit Marcus Antonius Gregorina, episcopus Catharinus (8), vir candidae mentis, cui concordia hagiographorum sese mutuo exscribentium, indicium veritatis erat (9). Nonnulla tamen de cultu beati Gratiae in Dalmatia addita sunt quae in aliis eiusdem aetatis libris frustra requiras. Nostris tandem temporibus lingua slavorum Vitam B. Gratiae edidit Ivo Matković (10) et tandem Nicolaus Mattioli (11), praecipue usus excerptis quae in processu catharensis collecta sunt.

Eius
corpus

5. Beati viri corpus primum in communi fratrum sepultura depositum, altera ab eius obitu die a priore coenobii cypressinae capsae inclusum est. Anno autem uno circiter elapso, in mar-

moreo sarcophago, illustrissimo viro Antonio Throno sumptus suppeditante, sacrae exuviae super altare reconditae sunt, apposito titulo BEATUS GRATIA (12); quieverunt autem, a fidelibus assidue summis honoribus ornatae, ad principium usque saeculi XIX, quo Patres Augustiniani coenobium Sancti Christophori deserere et Venetias migrare coacti sunt (13). Tunc enim beati corpus dono datum est Mullensibus, qui Gratiam civem suum fuisse gloriabantur; cessio vero die 21 februarii 1807 litteris publicis consignata est his verbis: Universis fidem facio quod corpus B. Gratiae Ordinis eremitarum S. Augustini Congregationis S. Marcae de Monte Orthoni laici professi, asservatum iampridem in ecclesia S. Christophori a Pace Venetiarum, hodie locatum fuit in capsula lignea cristallo a parte anteriori protecta, praesentibus adm. R. domino Aloisio de Angelis, plebano ecclesiae parochialis et collegiatae S. Michaelis archangeli, et adm. R. domino Carolo Elia, ecclesiae parochialis et collegiatae S. Samuelis Venetiarum alumno, per me Fr. Aloisium Montan, Ordinis eiusdem ex-priorem et regium cappellanum dictae ecclesiae S. Christophori et dono datum incolis loci Mullae, in quo ortum habuit, dioecesis Catharensis; et ne dubium eveniat de identitate ipsius, antedicta capsula colligata fuit funiculo viridi et sigillo conventus eiusdem obsignata. In quorum fidem etc. (14). Non tamen statim Mullensibus traditae fuere sacrae reliquiae, sed anno 1810 Catharum delatae, ab episcopo Antonio Gregorina recognitae, dein ab eodem, universo clero deducente, in parochialem ecclesiam Mullae (Muo) delatae et in altari collocatae, ubi ab antiquis temporibus beati imago exposita erat (15).

AUCORE
H. D.

Venetias,

deln in
Dalma-
tiam
delatum.

6. Anno autem 1864, nova aedificata ecclesia, iterum translatum est B. Gratiae corpus, ab episcopo Marco Calogera recognitum, ut hisce litteris constat: Marco Calogera, per la grazia di Dio e della S. Sede Apostolica vescovo di Cattaro. A chi leggerà salute. Partiti oggi dalla nostra residenza di Cattaro verso la vecchia chiesa di Mulla per verificare lo stato del corpo del B. Grazia di Mulla, che ivi si venera, giun-

Reliquia-
rum
recognitio.

Ordinis Eremitarum S. Augustini per Fr. ELISEUM A IESU MARIA Polonum de Modinuis eiusdem Ordinis. Venetiis 1677. Libri apographum legitur in Processu curiae Catharensis, fol. 111-213; excerpta in Processu typis impresso, *Summarium super dubio* etc., pp. 9-16, 29-30. Teste VALENTINELLI, *Bibliografia della Dalmazia*, p. 247, haec complectitur liber Elissae: « I quattordici primi capitoli, p. 1-131, descrivono la storia della vita e dei miracoli del B. Grazia; il decimoquinto, p. 132-134, da un riassunto della vita; gli ultimi due, p. 135-158, si compongono d'iscrizioni ed epigrammi in lode del Santo. » — (1) Scripsit ille « Gli annali ecclesiastici dell' Illiria in lingua illirica colla traduzione latina dal principio dell' era cristiana fino all' anno 1644. » Operis exemplum unum misit Congregationi de Propaganda Fide. Alterum incendio concrematum est. A. BASSIC, *Notizie della vita e degli scritti di tre illustri Perastini* (Ragusa, 1833), p. 29-42. — (2) FARLATI - COLETI, *Illyricum Sacrum*, t. VI (Venetiis, 1800), p. 475-76; iterum ex apographo Marini Drago, episcopi Catharensis, in Processu impresso, l. c., p. 17-18; et, quod mireris, rursus ex Farlato, ibidem p. 27-29. — (3) *Ecclesiae Venetae*, t. I, p. 260-67. — (4) *Vite e memorie de' santi spettanti alle chiese della diocesi di Venezia*, t. VII (Venezia,

1763), p. 52-61. — (5) *Hagiologium Italicum*, t. II (Venetiis, 1773), p. 282. — (6) FARLATI - COLETI, *Illyricum sacrum*, t. VI, p. 475-77. — (7) *Ibid.*, p. 477, n. 14. — (8) *Vita del beato Grazia di Cattaro*, Venezia, 1802, 20 pp.; iterum edita et aucta, con un'appendice sulla translazione del corpo dello stesso beato da Venezia a Mulla, e poi dalla chiesa parrocchiale alla nuova chiesa sub titolo « Auxilium Christianorum ». Zara, 1873, 20 pp. — (9) Ita scribit, p. 19: « Questa conformità in quelli che hanno scritto del nostro beato, dimostra i racconti essere veritieri; perche siccome l'errore è vario, così la verità è costante. » — (10) *Život i Slovanje bl. Gracije iz Kotora*. U Zagrebu, 1887; editio altera, Spljet, 1910. Sacra sollemnibus diebus 16, 17, 18 maii anni 1890 Mullae peracta idem Ivo Matković enarravit in libello *Spomenica na Trodnenu Slavje Poblaznja bl. Gracije Svetloaugustinskog Reda Romita na Mulu u Boki Kotorskoj 18tog, 17tog i 18tog Svibnja 1890*. Zagreb, 1890. — (11) *Vita del B. Grazia da Cattaro*, Roma, 1890, 288 pp. — (12) Cf. Elisaeum Polonum in *Summarium super dubio an sententia* etc., p. 14. — (13) MATTIOLI, op. c., p. 165. — (14) *Summarium*, p. 43; MATTIOLI, op. c., p. 250-51. — (15) *Summarium*, p. 38.

-gemmo

AUCTORE gemmo alle ore 8 3/4 antimeridiane, accompagnati dal reverendissimo canonico Trifone Oparenovic, dal rev. ceremonista vescovile D. Antonio Zunaievic, dal parroco di Mulla molto rev. D. Elia Andric, dal sindaco di Mulla signor Vito Pascovic, dal preside della fabbrica di Mulla signor Giorgio Petrovic, e dai notabili di Mulla signor Antonio qu. Filippo Petovic e signor Trifone Marovic; e alla loro contemporanea presenza facemmo aprire la cassa d'abete che contiene il corpo del Beato; abbiamo trovato il sacro corpo dal colle alle noci dei piedi tutto connesso, e nella massima parte coperto di carne e pelle; e al primo toccarlo spiro dalla cassa un suave odore, accolto dai presenti con santa letizia e lagrime di commozione. E a memoria del fatto abbiamo ordinato che sia eretto il presente atto in doppio originale che si conserverà nella nostra curia, e l'altro nel ufficio parrocchiale di Mulla, munito delle firme di tutti i predetti intervenuti e dal nostro maggiore suggello. (L. S.)

B Cattaro, 22 agosto 1864. *Sequuntur testium subscriptiones* (1). *Sollemnis translatio facta est die 18 septembris sequentis, constatque cultum beati exinde maxime auctum.*

Cultus in ecclesiis Mullensi, 7. *Exstant litterae a paroco Philippo Giuranovic die 15 martii anno 1848 ad episcopum Catharensis datae, quibus ratio cultus tunc temporis beato exhibiti late describitur. Novies in anno urna corpus continens reserebatur, populo ad il-*

D *lud osculandum accedente, ipsis etiam heterodoxis cum catholicis de pietate certantibus. Festum beati celebrabatur die 8 novembris, missa autem Omnium Sanctorum cantabatur. Nonnulla insuper narrat miracula paucis ante annis patrata: anno 1815 iures caput beati auferre attentantes, mirabiliter avertuntur; alio tempore mulier contumeliae in beatum iactatae poenas luit; femina filiam corpore contractam ad altare beati sanam recipit; vinum ab inurbano homine in altari beati positum mirabiliter submovetur (2).*

8. *Et haec quidem Mulla agebantur. In cathedrali Catharensi, die 3 februarii, quae S. Tryphoni loci patrono sacra est, beati Gratiae reliquiae, saeculo XVII ad finem vergente, Venetiis acceptae, populi venerationi exponebantur. Ecclesia autem Sancti Matthaei in Dobrota partem cilicii, quo pro interiore tunica utebatur beatus, servabat (3). Anno 1806, episcopus Clodiensis (Chioggia) litteris testatur digitum B. Gratiae confessoris Ordinis S. Augustini extractum corpore quod ab immemorabili servatur in ecclesia S. Christophori in Insula a se collocatum in tubo cristallino oblungo rotundo suo sigillo obsignato (4). Anno 1811, L. Luciani, archidiaconus Venetiarum, sede vacante, vicarius capitularis, crus B. Gratiae recognoscit et in capsula lignea debite obsignata reponit, litterisque datis facultatem concedit hasce reliquias publice Christi fidelium venerationi exponendi (5).*

Catharensi et aliis.

(1) *Summarium*, p. 39; *MATTIOLI*, op. c., p. 253-255. — (2) *Summarium*, p. 45-48. — (3) *GREGORINA*, t. c., p. 19. Pars maior cilicii in cathedrali

Catharensi servabatur. *Summarium*, p. 53. — (4) *Summarium*, p. 51-52. — (5) *Summarium*, p. 52-53.

VITA B. GRATIAE CONFESSORIS

Ex Flaminio Cornelio. Cf. Comm. praev. num. 4.

Beati patria et parentes;

1. In quodam Dalmatiae pago (1) ubi Venetum dominium cum Turcica ditione conterminat, prope Absorivium civitatem (2), vulgo Catharum dictam, versus mare Epidaurium, Benedicto et Bona (3) humilibus quidem, sed piis honestisque parentibus ortus est Gratia anno ab incarnatione Domini 1438, die 27 octobris, Eugenio IV Veneto sedente in apostolico throno.

Adolescentia religiose transacta,

2. Adolescentiam et iuventutem in summa egestate transegit, nec tamen inter inopis vitae angustias a via mandatorum Domini unquam deflexit. Manuum enim labore vitae necessaria

comparans, et inter periculosa nautae exercitia illibatos mores custodiens, iam tum sanctioris vitae iaciebat fundamenta. Ex huius laboriosae conditionis necessitate mercium vehendarum causa, frequens erat Gratiae ad Venetam urbem appulsus, ubi tunc debebat virtutum luce et praedicationis apostolicae munere fulgens frater Simon de Camerino (4) qui in austriore regularis vitae observantia inque devotae solitudinis amore, novam illam suam erexerat congregationem a monasterio principe B. M. V. de Monte Orthono (5) nuncupatam, ad quam plures probatae

audito B. Simone Camerte,

(1) Sunt qui cum Lazarino existiment Gratiam natum esse in pago dioecesis Catharensis cui Dobrota nomen est, idque ex eo coniciunt quod cum eius mater Bona appelletur, id vocabuli ei inditum sit ex nomine ipsius pagi qui matris et filii patria esset, nam *Dobra* (unde *Dobrota*) apud Slavos idem significat quod Bona apud Latinos. Alii tamen indubitata fide tenent Gratiam ex pago Mulla oriundum esse. Cf. *FARLATI*, op. c., t. VI, p. 476-477. — (2) Alias *Ascrivium* dicit et Plinii locum (III, 24) affert (*Catharus Dalmatiae civitas*, Patavii, 1769, p. 1). Apud Plinium autem legitur (III, 23, 144) *Acrivium*, apud Ptolemaeum vero *Ακρωβιον* (II, 16, 5). Cf. *C.I.L.*, III, p. 284. — (3) Non matris

sed patriae hoc nomen esse putat Lazarinus, quia Bona nomen nec in Catharensi dioecesi nec in locis conterminis sit vel fuerit in usu. Cf. *FARLATI*, t. c., p. 476. — (4) Simonis de Camerino vitam conscripsit G. F. Tomasino in libro de quo mox. De eo quoque M. CAFFI, *Fratre Simone da Camerino*, in *Archivio Storico Italiano*, III Serie, t. XXVI (1877), p. 323-31. — (5) Monte Ortone seu Montortone, com. di Teolo, prov. di Padova. In instrumento anni 1441 mentio est monasterii *S. Mariae de Monte Rotundo dicto Monte Orton Paduani districtus*. <G. F. TOMASINO>, *Historia della B. Vergine di Monte Ortone ... l'origine della Congregazione dedicata al suo nome e la Vita di Fr. Simone da Camerino fondatore di essa*. Pado-

pietatis

A pietatis viri, beati fundatoris sermone et exemplis accensi, certatim accurrebant. Ob huius itaque venerabilis viri auditas conciones, sic ad meliora se excitatum sensit Gratia, ut nuntium caducis rebus remittere disposuerit. Quare sacrum religionis habitum in conditione laici enixis precibus impetravit anno 1468, aetatis vero suae trigesimo.

in Monte Orthono tirocinium suscipit.

3. Voti compos factus, regularis vitae tyrocinia in Monte Orthono suscepit, et adeo virtutibus omnibus statim coepit clarescere, ut in ipso severioris instituti exordio, religiosae perfectionis apicem iam assecutus fuisse videretur. Praecipua illi cura corpus viribus robustum omni asperitatum genere in servitum spiritus redigere; quapropter in seipsum desaeuens, ferrea catenula acutis apicibus arcte inter se connexis conspersa, lumbos accinxit, genibusque tenuis cilicium saccum ex asperis equorum pilis contextum, pro intima et carni proxima veste adhibuit, quo cum pia veneratione, etiamnum in Divi Christophori monasterio (1) asservato, fugari daemones, morbosque depelli iterata experientia probatum est. Rigida continuabat ieiunia, quae plerumque et saltem per tres in hebdomada dies solo pane et aqua tollerabat. Ceteris vero diebus a lacticiis nedum carne sibi temperans, ad panis praeduri frustulum et modicam aquae mensuram vix aliquid de herbis aut fructibus pro obsonio addebat. Lectulus eius potius ad tormentum quam ad quietem paratus videbatur; super geminas enim, easque rudes et asperas tabulas, capiti lapidem pro cervicali supponens, brevissimum lassitudine victus carpebat somnium. Reliquum noctis tempus in caelestium rerum meditatione vel in obeundis vilioribus coenobii officiis insumebat.

Eius paenitentia,

B

4. In deliciis praecipue illi erat sacris missae mysteriis quotquot peragebantur deservire, quo tempore ab exteriori corporis compositione interiorique mentis attentione angelus potius quam homo angelorum ministerium abimplens apparebat. Hoc tamen sibi gratissimum munus ex obedientia dimisit, atque alacri laetique animo vilissima quaeque coenobii munia e nutu superioris suscipiens, culinae grave abiectionumque onus non minus attente et sollicito, quam si ecclesiae inserviret, administravit. Ad haec claustrum angulos et immundiora domus loca purgare, sordes verrere et infirmis eximia cordis charitate, nocturnas etiam agens execubias, ministrare, quos non solum assidua servitute, sed caelestium rerum dulcissimis colloquiis recreabat. Nec his solummodo contentus laboribus, ne ullam corpori, quod animi hostem intimum reputabat, requiem permitteret, consuevit, quoties per tempus liceret, terram humeris, quo opus esset, gestare et priscorum eremitarum more arbores frugiferas serere, et interea nihil veritus hiemales brumae rigores, nudis semper pedibus incedere.

pietas,

oboedientia,

paupertas rigidissima,

5. Paupertatis rigidissimus custos, deteriori tunica contentus, abiectionem monasterii cellam incolebat, in qua praeter angustum ex rudi-

7. —¹ ornans *Ed.*

va, 1644, p. 3. Bullam Nicolai V de institutione Congregationis Montis Orthoni die 18 aprilis 1452 datam etiam apud Flam. CORNELIUM, *Ecclesiae Venetae*, t. I, p. 274-75 et apud MAT-

bus asseribus lectulum ferreamque ex catenulis disciplinam et lineam crucem, nulla alia suppellex. Omnes cordis sui thesauros in mortificatione crucis Christi reponens, castitatem, humilitatem, ceterasque virtutes mirifice coluit, et sui tantum acerimus censor, silentium, nisi aliter charitas postularet, perpetuum custodivit.

6. Inter tot corporis labores assiduum erat orandi studium, in quo totum ferme noctis spatium, et quicquid a laboribus supererat diuturni temporis invicto animo insumebat: neque vero exteriores corporis exercitationes animam eius a divinatorum mysteriorum assidua meditatione abstraherent, propterea inter culinae aliorumque munerum onera, quibus gravabatur, erecta in Deum mente semper orare consuevit: quam admirabilem cordis in oratione perseverantiam tantis corporis cruciatibus conciliatam, non uno miraculo Deus comprobavit. Quorum tamen duo splendidiora liceat afferre.

7. In Monte Orthono dum ex oboedientia laboribus rustici propriis in horto colendo vacaret, in spiritus impetu ferventius orans, audit tintinabuli monitu in propinqua ecclesia perfici adoranda Eucharistiae mysteria; nec mora in genua procidens, repente conspexit ingenti prodigio hiantem dividi murum, templique interiora pandi, ut altare conspiceret, quo super divina elevatur hostia: tum in eius medio candore, infantulum Iesum radiis circumdatum, sacerdotis elatum manibus vidit et adoravit.

8. In Divi Christophori pariter monasterio — ad quod ex Monte Orthono superiorum nutu commigraverat — nocturno tempore de more vigilans, in sublimi contemplatione defixus erat Gratia et eo usque cor eius divino conflagrabat ardore, ut exinde erumpentes caelestes radii in flammularum formam supra ipsius cellam conspiciui fuerint. Quo factum est, ut piscatores hac illac in cymbis arti suae vacantes, comburi ipsum coenobium reputaverint, unde conterriti ad terram prosilientes et ad monasterii portam adcurrentes, succrescentis ignis minas pulsata campanula dormientibus fratribus nuntiarunt; flammularum autem adspectus qui ex caelesti proveniebat incendio, repente evanuit.

9. Ex ferventi in Deum charitate, mirus quoque erga proximum amor enituit; cuius quas-cumque necessitates, eo quo fas erat modo, levare conabatur. Quamvis silentii accuratissimus custos esset, tamen vel ad aegrotorum taedia lenienda vel ad homines criminum lue infectos ad salutem revocandos, spirituales saepius sermones non gravabatur habere. Detractam etiam de inopi sibi assignato cibo potiore partem in pauperum subsidium erogabat. Hanc quoque famuli sui dilectionem, qua integram legis plenitudinem numeris omnibus absolvebat, praeclearo et ad nostra usque tempora perseverante beneficio omnipotens Dominus testatam voluit.

10. Fatiscentes ecclesiae S. Christophori de Pace (2) instaurabantur parietes, ipsisque mura-

VITA

assiduum orandi studium.

Per hiantem murum SS. Eucharistiam adorat.

Flammae supra eius cellam conspiciuntur.

F

Erga proximum caritas.

Puteum arescentem

TIOLI, op. c., p. 210-18. — (1) Monasterium et ecclesiam Sancti Christophori de Pace diruta esse supra, p. 297, diximus. — (2) Non primum a Simone de Camerino aedificata est ecclesia Sancti Chris-

VITA
aqua
replet,

riis fabris de more ministrabat Gratia; cum exhausta xistri cisterna domestico usui operique struendo deserviens, ex frequentiori haustu, ipsaque adeo aestivi temporis ariditate penitus exsiccata destitit aquas suppeditare. Verum, quia latiore lacuna ubique circumdatur insula, nec facilis inopi monasterio dabatur modus afferendae deforis aquae, Gratia subito cordis impetu in Dei providentiam omnem spem iaciens, aridam putei superficiem marinis aquis profudit; tum in genua ferventiori oratione Dominum rogaturus procumbit. Nec multo post effusas humilis viri preces, duplicato prodigio marina aqua puteo infusa nihil amplius in se aut salis aut amaritiei prae se ferre visa est et eo usque assurrexit dum ad ipsius cisternae superius os mirantibus cunctis ascenderet. Huius prodigii constans beneficium sanctitatis eius perenne est testimonium, siquidem ex ipso puteo indeficientes exinde hauriuntur aquae, non tantum levandae siti, verum etiam irrigandis hortis et coenobii ministeriis abunde inservientes, quodque mirum est, plenamque prodigii virtutem testatur, aestivo tempore ad propinqua civitatis usum avidissime exoptata utpote levis plenius exportatur cymbis, numquam deficiente caelestis abundantiae virtute, quin etiam aliquando succrescentibus marinis undis, ipsumque puteum intransibilibus, ex ipsarum salsedine ipsius cisternae dulcedo traditur nullatenus immutata.

continuato
per saecula
beneficio.

B

11. De huius aquae caelitus infusa virtute, illustre testimonium perhibet P. Spiritus Lazarinus, eiusdem Ordinis alumnus (1), qui ex eius haustu sanitate recepta, in grati animi signum vitam ipsius beati italico sermone exaravit, typisque mandavit Venetiis anno 1643. In ea enim conscribenda testatur se ardentissima febre eaque lethali laborantem, viva fiducia modicum de praedicti putei aqua gustasse haustum, implorataque per B. Gratiae merita Dei ope, pristinae incolumitati restitutum fuisse.

P. Lazarino
medetur.

A diabolo
exagita-
tur.

12. Tantas Gratiae virtutes aegre ferens antiquus humani generis hostis, sanctissimum virum variis tentationibus aggreditur, mentemque eius ab oratione avertere diabolicis conatur illusionibus; sed spe frustratus in tantam actus est rabiem, ut Domino ad servi sui victoriam permittente, palam ei apparere ausus sit, et larvam indutus, infernis satellitibus stipatus, dum ad crucifixi effigiem vehementius orat, violenter per monasterium tractum, durisque verberibus contusum, semivivum relinquit Gratiam; ex

qua pessimi angeli lucta insanabilem plagam in D femore recipiens, ad mortem usque in signum victoriae claudicavit (2).

13. Cum autem in continuo virtutum exercitio inque summa vitae asperitate Deo fideliter in religione per quadraginta ferme annos deservisset, tandem laboribus et constanti corporis castigatione attritus, in extremum morbum incidit. Hoc ingravescente, cum ex medici consilio carnibus vesci cogeretur, ut languentes recrearet vires, numquam tamen eximius mortificationis amator a solita abstinentia potuit avelli, donec accedente superioris auctoritate, a cuius ore nutuque pendeat, carnes ei sunt allatae; quas, cum de more signo crucis benedixisset, repente putridae vermibusque scatentes apparuerunt; viro obediens per divinam protectionem loquente victorianam.

Allatae
carnes
putres-
cunt.

14. Mox ad extremum vitae spatium redactus, affertur sibi dominicum corpus humillimis precibus postulavit, quod e lectulo surgens et cinctura ad collum alligata provolutus in genua devotissime suscepit indeque recepta sacri olei unctione, inter adstantes religiosorum choros in osculo Domini placide obdormivit die nona novembris (3) anni 1508, annum agens aetatis septuagesimum, in vitae vero religionis quadragagesimum. Corporis eius exterior figura — ut ex traditione acceptum est — animi interioris sanctimoniam indicabat. Iusta statura, oculi ad terram demissi, decora quamvis inculta barba, facies pallida, et ob ieiunia gracilis et exsiccata, incessus, sermones et actus religiosi hominis perfectionem praeferebant.

Sacramen-
ta piissime
suscepit.

E

15. Evoluta ad superos sanctissimi viri anima, funus eius mirabili stellae apparitione supra demortui feretrum coruscantis, frequentique populorum concursu decoratum est. Attamen suadente fratrum humilitate, corpus eius communis fratrum sarcophago est demandatum. Tales religiosae modestiae dispositiones altiori divinae sapientiae consilio paulo post sunt immutatae, Deo minime permittente corpus servi sui, crucis mortificatione insignitum, inter cetera defunctorum cadavera confusum quiescere.

Hominum
concurus
ad eius
funus.

F

16. Nocte igitur quae diem depositionis subsecuta est, Martyrio Bergomati, coenobii priori, apparuit caelesti circumfusus luce Gratia, ipsumque admonuit hanc esse Dei voluntatem, ut corpus e sepulchro, in quo depositum fuerat, tolleretur, honestiori loco collocandum. Caelestibus monitis obtemperare gestiens prior, mane

Ipsa
momente
e communis
sepulchro
eruitur.

tophori, sed ipsi concessa, anno 1436, litteris Francisci Foscari, Venetiarum ducis, cum hospitali et monasterio. Flam. CORNELIUS, *Ecclesiae Venetae*, t. I, p. 272-73. Post pacem rempublicam inter et Mediolanensem ducem Franciscum Sfortiam ope fratris Simonis compositam, senatus decreto, 17 maii 1454, concessum est quod de cetero locus ipse S. Christophori nuncupetur S. Christophorus della Pace. Fl. CORNELIUS, t. c., p. 277.— (1) De P. Lazarino, supra, p. 298.— (2) Haec Patavii acta esse narrant, v. gr. Zmajević, ap. FARLATI, *Illyricum Sacrum*, t. c., p. 475, ibique, p. 476, addita est haec annotatio: « Id accidit in hospitio S. Marci, ut est in codice italico. Habent siquidem patres Montis Ortosis parvum domicilium in Campo Martio, quod Pratum Vallis vulgo appellant, cum aedicula S. Marci titulo inscripta, ubi cum ad urbem ve-

niunt, diversare solent. In hoc hospitio habitare iussus fuerat F. Gratia ad res urbanas curandas, quae ad monasterium S. Mariae pertinebant. » De codice italico, supra, p. 299.— (3) Eius sepulchro apposta erat haec inscriptio, quam refert FARLATI, t. c., p. 478: VBLI(S). GRATIA. VIXIT. ANNIS. LXX. OBIIT. IN. REL. MIRA. ABSTINENTIA. DIE. IX. NOV. MDVIII. Errant tum Zmajević, apud FARLATI, t. c., p. 475, tum Riceputi in Martyrologio Illyrico, apud FARLATI, t. VIII, p. 313, qui beati natalem ad diem 9 octobris referunt; errat et Bartholomaeus SCALABRELLA, *Calendario della religione di S. Agostino* (Roma, 1878), qui ad 11 octobris eundem transfert, V *id. oct.*, ni fallor, legens pro V *id. nov.* Apud Mullenses die 8 novembris B. Gratiae commemoratio fieri solebat.

facto-

A facto accessit ad ecclesiam, apertoque loculo, ex quo fragrantissimus efflabatur odor, sacrum depositum eruit, et cyressinae inclusum capsae, loco decentiori recondit. Inde nova et mirabilia signa Gratiae meritum testantia; ex eius enim intercessione quamplurimi aegroti — ut de ali- quibus mox dicemus — mirabiliter pristinae sanitati sunt restituti, ita ut de solemniori eius translatione cogitatum sit.

*Nobilissi-
mum super
altare
sepulcrum.*

17. Hoc autem accidit ex iterata Gratiae apparitione, qua recreatus nobilis vir Antonius Thronus, D. Marci procurator, beato viro dum viveret amicitiae vinculo familiarissime iunctus, curam omnem intendit, ut sacrum pignus ex humiliori in digniorem locum transferret. Manum itaque pius senator bono operi admovit, sumptu- que proprio marmoreum erexit monumentum, quatuor innixum columnis, in quo venerandum corpus adhuc incorruptum solemnium pompa reconditum est. Cum autem a morte statim miraculis prodigiisque claruerit, concordi populorum acclamatione beati titulo decoratus est, eiusque sepulchrum, in quo veneranda Gratiae iacentis imago visitur, super altare templi, ubi divina peraguntur mysteria, primo ab eius obitu anno erectum fuit. Nec prodigiorum finis fuit; quin immo crescente affluentis populi devotione, signa quoque in dies plura et maiora visebantur, quorum quamvis magna ex parte temporum diu- rnitatem et maiorum incuria sit obliterata memo- ria, tamen quorundam, recentioris potissimum aevi, quae remanserunt, liceat ad beati viri glo- riam seriem contexere.

*Signa
in dies
maiora.*

18. Mirum in modum, ut supra narravimus, sanitatem ex aquae haustu recepit P. Spiritus Lazarini, qua pariter potata, Fr. Valentinus Sal- maso in D. Christophori coenobio conversus, ex gravi synanche, qua ad mortis periculum labo- rabat, sanatur. Quod enim ars medica nequivit, hoc praestitit Gratiae nomen, quo invocato an- ginam pepulit, mortemque faucibus vomuit.

*Miracula
nonnulla*

19. Pari quoque virtute, implorata Gratiae intercessione, sanati sunt P. Iohannes Paulus Stupa, Eremiticae familiae ex gravi febre, cui in- erant manifesta malignitatis argumenta, ad ex- tremum vitae discrimen redactus anno 1648, et Augustinus Donatus, qui ob receptam mirabiliter meritis B. Gratiae salutem anno 1657, argen- team eius arae obtulit lampadem, quam institu- to censu ad eius corpus perpetuo iussit ardere.

*ann. 1648,
1657,*

C

20. Ex ulcere pessimo anno 1654 Albani cuius- dam, praeclari in arte chirurgica magistri, crus iam putruerat; cumque lecto affixus, propriae artis studia irrita conatu requireret, beati viri merita pro medicamine implorans repente eadem invocationis nocte se adeo relevatum sensit, ut in crastinum per urbem discurrens, caelestem virtutem acclamaret, et inde crus argenteum, ne prodigii memoria interiret, ad medicum sui sepul- chrum obtulit.

ann. 1654,

21. Nobilis vir Cornelius Contarenus, se a bel- licorum tormentorum grandine mirabiliter erep- tum Gratiae auxilio fassus est, eiusque pariter ope dum furente horrida undarum procella cum coniuge in navigio nec magno nec satis firmo iac-

tarentur, ad invocationem Gratiae liberos et in- columes evasisse.

22. Aequalem in invocatione Gratiae virtutem experti Iulius Comeses piscator ex Muriano eius- que sponsa a nequissimorum spirituum infesta- tione praeservati, anno 1658, et P. Thomas Ba- gatta, prior S. Christophori, qui ex semestri gra- vissima animi angustia anno 1672 liberatus est.

VITA

*ann. 1658,
1672,*

23. Maria Francisci Perusini Murianensis ci- vis uxor ex arthritide decubuerat anno 1675, iamque per sex menses affixa lecto, ad extremum vitae discrimen adducta, quam ex artis medicae remediis nequiverat, meritis beati Gratiae rece- pit sanitatem; pari quoque munere Bernardus Petri Veneti Nobilis dicti et Magdalenae filius, qui bimulus ex nutricis sinu super marmoreos decidens gradus, toto corpore quassatus atque inutilis a medico derelictus fuerat, fiducia pa- rentum, qui ad Gratiae patrocinium confugerant, sanatus est anno 1663.

*ann. 1675,
1663,*

24. Biennio interiecto, alter unius anni in- fans Baptista Ioannis Gnoci et Magdalenae filius, e nutricis manu ab altiori fenestra in terram prae- ceptis delapsus, dum mortuus creditur, concepto et designato per parentes ad beatum Gratiam voto, cunctis stupentibus illaesus reviviscit; quo pari- ter tempore ex diuturno morbo morti proximus Bernardus Fracassati Ioannis Baptistae et Mariae filius, voto parentum sanitati restitutus est.

ann. 1665,

25. Ex ischiade et interna febre per plures aegrotans menses quidam nomine Sanctus et Ius- tus agnomine anno 1673 medicorum consilio ad recuperandam valetudinem ex tepenti aqua balneum sibi parari iusserat; in quo positus, ob ministrantium incuriam, pro tepida ferventi per- fusus, totoque corpore ustulatus, in lectum semi- vivus deducitur. Ibi ex ulcerum intolerabili ar- dore cruciatus, brevi beati Gratiae opem lacry- mis potius quam voce invocavit, qui ea ipsa nocte illi apparens, candidissimum florem ore suo praeferebat, bono animo esse iussit, certam- que de recuperanda valetudine spem intulit quam a visione statim perfectam se recepisse iuramento deinde testatus est.

ann. 1673,

26. Diuturno morbo decumbens Antonius in- fans, parentum Baptistae cymbarii et Ioannae ad Gratiam recurrentium fide, e proxime mor- tis faucibus eripitur, et Iustina Zanchi vidua certo casu *calax* effecta, et per triennium immo- bilis decumbens, eiusdem Gratiae patrocinio fa- cultatem obtinuit expedita ambulandi; nec dis- simili munere Catharina de Manfrix, per habitua- lem ischiaticum motu membrorum privata, me- ritis beati Gratiae, cuius imploraverat patroci- nium, pristinae incolunitati restituitur.

F

27. Anno 1674 lethali morbo Muriani languens Petrus Benedicti vitrarii et Helenae Beltramae filius infans in sexto supra decimum suae vitae mensem supremum exhalavit spiritum; iamque feretro impositus fuerat: cum superveniente aedituo templi S. Christophori, ex eius consilio maestissimi parentes singulari fiducia nomen beati Gratiae invocant; cuius meritorum virtute surrexit qui fuerat mortuus, et exiit fama haec in universam terram illam (1).

ann. 1674.

(1) Ex Elisaeo Polono nonnulla B. Gratiae miracu- la selecta attulit FARLATI, t.c., p.477, quae prae-

ter unum ea sunt quae narrat Cornelius de Augus- tino Donato (n. 19), de Cornelio Contarenis

VITA

28. Accedens ad beati Gratiae sepulchrum Caecilia hortulana de littore S. Erasmi, cotidiana diutinaque febris afflicta, dum supplex pro sanitate orat, confestim ex febre perfecte convaluit, parque incolumitatis beneficium accepit Angelus Bertini, piscator Murianensis, qui, maligna oppressus febris, dum in extremo anhelitu luctatur, per beati Gratiae imploratam opem sanitatem recepit.

(n. 21), de Sancto Iusto (n. 25), de filio Benedicti vitrarii (n. 27). Illud autem quod his addit hoc loco exscribo. « Agnoverat intolerabiles unius viduae cordis angustias, quae post amissum suae senectutis baculum, nempe unicum filium, inconsolabiliter eiulabat. Casu subito illum Venetiis perdidit, summa sollicitudine quaesivit per anfractus urbis, omnem movit lapidem, inquirens ex obviiis etiam in remotiora se extendens et incassum. Iam septennium afflictionis fluxerat evolutum, ubi etiam illa destituitur quae est ultima miserorum anchora, nempe spe. Tandem divinitus monita recurrit ad insulam D. Christophori. Ibi tunc opere sanctus debebat Gratia; cum more Sunamitidis D. Elisei hospitaee in simili casu ad genua procumbentis vocum gemitu complexatur pedes, ad intimam sui consolationem ore prophetico haec inaudit: Plus

29. Plurima alia ad eius intercessionem patrata sunt miracula (1) quae ex desidia priorum temporum, ut superius dicebam, sunt oblivione deperdita; haec autem ideo placuit recensere, ut per ipsorum notitiam omnipotente Deo famuli sui humilitatem glorificante, devotio erga beatum virum temporum fluxu tepescens, nunc iterum reviviscat, et augeatur.

noli vexari, bona mater; haec, inquam, vespera illum videbis. Et mox uti praedixerat B. Gratia, recepto pignore facta est illius gloriae divulgatrix. » — (1) His addimus miraculum cui se interesse assertit Antonius Loredanus, quodque hisce profert verbis: « Chiedi, e prendi l'esempio dal Padre fra Tadeo, a cui l'anno 1668, 18 luglio, condotta una donna, che dicevano oppressa da spiriti, per conoscere questo buon Padre se veramente era tale, senza farne motto ad alcuno, presa una cassetta nella quale il cilicio del beato Padre fra Grazia conservasi, la pose sopra la testa dell' invasata donna, e doppio ne provò il miracolo, mentre quella con urla cominciò a gridare: Grazia tu mi abbrugi, e scoperto per forza quell' immondo spirito, lasciò in quel instante di maggiormente molestarla. »

DE SANCTIS QUI IN UTRAQUE SCOTIA

V IDUS NOVEMBRES COLUNTUR

E sanctis
quos
memorant

1. Tot cotidie sidera in caelo celticarum regionum oriuntur ut multo facilius sit numerare caeli signa quam stellas singulas digito monstrare. Ideo postquam nominatim egimus de praefulgentibus astris, qualis hodie est S. Benignus Ardmanachus, de reliquis breviter et coniuncte dicemus. Et primo quidem occurrunt heortologia martyrologiaque excutienda; neque tantum strophas proferemus quae ad hanc diem apud Oengusium Marianumque leguntur, sed etiam, pro re nata, aliquot sallem e priscorum hagiographorum notulis, quae in vetustis codicibus interpretationis gratia adiectae sunt.

Oengus,

2. Antiquissimum heortologium gadelicum, Fé-

lire Óengusso Céili Dé (saec. IX in.) hoc habet tetrastichon:

Dónait ocus Damián
níptar énaig anbli.
For óenlíth co suilgi
féil Sinche co sadbri (1).

Latine: Donatus et Damianus non erant protervi conviciatores. In eadem solemnitate cum iucunditate festivitas Sineach-ae opulenter (2).

3. Mael-Maire autem húa Gormáin, seu latine Marianus Gormanus nepos, in heortologium quod circiter an. 1170 conscripsit hanc strophem ad V idus novembres inseruit:

(1) Locus bis editus est a Wh. Stokes; primum *On the Calendar of Oengus*, in *Transactions of the Royal Irish Academy, Irish Manuscripts Series*, t. I (1880), p. CLXII-CLXIII, cum gloss. pp. CLXVI, CLXVIII; dein *Féilire Óengusso Céili Dé. The Martyrology of Oengus the Culdee* (London, 1905), p. 233, cum gloss. p. 240-41 (= *Henry Bradshaw Society*, t. XXIX); Ex hac editione tetrastichon descripsimus. — (2) Gadelica illa nemini arbitramur satis perspicua videri; etsi vix quicquam refert in eius modi carminibus quae vocabula ad sanctorum nomen adiecta sint. In interpretatione secuti sumus in omnibus fere Stokesium, qui ipse dubitat an re vera vox *ainbil* significet «protervum» (eam anglice verterat *shameless*), ed. altera, p. 296; incertus etiam ille an *co suilgi* significet: «cum iucunditate», *ibid.*, p. 366. Tandem ab eorum sententia qui verbum *énaig* reddunt «sapientes» discedimus, secuti d.v. Holger PEDERSEN, *Vergleichende Grammatik der keltischen Sprachen*, t. I, p. 343. Vertit Stokesius ultimum versum: *the feast of wealthy Sinech*; nobis tamen cautius visum est ambiguum verborum *co sadbri* non enotare sententiam; du-

bium enim est quid sibi illa velint, utrum festum splendide celebrandum sit, an Sineach ipsa dives fuisse dicatur. Ceterum et vetus glossator in antiquo codice *Leabhar Breac*, de quo infra, num. 9, nonnulla verba aliter intellegit ac latine redditum est a nobis; hanc glossam excipere et in latinum sermonem vertere operae pretium est, quippe quae numquam nisi hibernice vulgata sit et in priore Stokesii editione tantum, p. CLXVI. Eum locum qui Stokesio est obscurior in altero versu, neque vetus glossator extricavit; tres enim varias sententias proponit eorundem verborum *níptar énaig ainble*: *.i. níptar énaidag; no nídentais écnach; no níptar énaide ainble, acht énaide felta no forustai*. Latine: *id est, non erant rationis expertes; vel, non dicebant calumniam; vel, non erant sapientes improbi, sed sapientes periti seu gnari*. In versu tertio *co suilge*, quod vertimus: «cum iucunditate», explanat *co suailchib*, id est latine: «cum virtutibus». Tandem in ultimo versu vocibus *co saidbre*, quas vertimus: «opulenter», adicit *id est virtutibus*, ut sensus sit Sineach divitem fuisse virtutibus.

Urcicin